

NUMMUS CASTRENSIS
 CHRISTIERNI II. REGIS DANIÆ,
 CUSUS EXPEDITIONE CONTRA SUE-
 cos susceptâ: Anno Christi 1520.



T symbolum Christierni hujus Secundi animum prodidit ad arma potius, quam pacem ac tranquillitatem proclive (*Aquila namq. cum Dracone bellum perpetuum*) sic Imperium ejus turbis motibusque abundavit, tristi tandem fine clausum. Jus primò, quod ex Avi & Patris successione in regno Suetiæ sibi vindicabat, armis persequi cum decrevisset, magno è Sa-

xonibus, Frisiis, Scotis, Gallis collecto exercitu, in Stenonem Suetiæ Regem adducit: Stoccolmiæ sedem regiam magnâ operum vi cingit. Sed adventante Stenone, obsidione solutâ, cum reflante vento exercitum toto trimestri expectato transmittere non potuisset: summâ rerum omnium penuriâ pressus, à Stenone comeatum, & fidem accipit, quo securè in Daniam redire sibi liceret: quam ipse humanitatem, quadriennio post detestandâ fraude perfavit. Sequenti anno multo majus crudelitatis & perfidiæ specimen edidit. Nam potentiori cum exercitu excursionem in Vestrogothorum terras à Danis factâ, & pugnâ super mare congelatum commissâ, ictu tormenti in femore vulneratur. Steno cum paulò post obiisset, & duce sublato numerosus Sæcorum exercitus statim dissipatus esset, Christiernus victor à proceribus regni, qui Danicæ factionis erant, evocatus, coronâ regia Stoccolmiæ ornatur, eodemque die, veritus ne se absente Stenonis liberi à contrariâ factionis principibus, rursus in regnum restituerentur, clausis urbis portis, præcipuos ex omnibus ordinibus viros cōvivio à se acceptos populo astante & trepidante ad XCIII. obtruncari jubet: relictis ante prætorium, ad horrorem per triduum cadaveribus. Ita Stoccolmiâ profectus, cum multâ sævè in multos passim perpetrasset, incolis ad facti famam ad 30000. cum armis accurrentibus, ipse per devia & sylvas noctu potius quam interdiu, iter faciens, in Daniam vix tandem revertitur, ubi tot cædibus efferatus, cum ne suorum quidem sanguine cruentam sitim restingere posset, à Friderico patre Holstatiæ principe, & Lubeccensibus bello petitus: terrente cōscientiâ, cum uxore Isabella, Cæsaris sorore, & liberis in Zelandiam profugit. Tertio,